



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

21 Irregularis non fit percutiens alium in facie, & perpetuo macula maneret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

in cap. 2. de immu. eccl. Dubius autem an ipse occiderit nec ne, a iudice, & in foro exteriori irregularis iudicandus non est; cum nemo in dubio a iudice irregularis iudicari debeat ex Innoc. in c. ad audientiam, de homic. ipse tamen in dubio, & in foro conscientie, seipsum irregularem existimare debet; arg. d. ca. ad audientiam, & c. iuuens de sponsa. Cum in dubio pars turior eligenda sit ex Nau. in Man. c. 27. nu. 193.

DECISIO XIV.

14 **O**ccidens, se defendendo, cui fuga fuisset, iniuriæ, & delectori, non peccat, irregularitatem tamen incurrit; cū hæc sine peccato contrahi possit, ut ait Nau. in Man. cap. 27. num. 211. dummodo sine mortis periculo fugere possit: Sin vero fuga periculosa sit ob casum, vel velocitatem hostis insequens, vel ob impedimenta viarum, aut aliam ob causam, nec peccat, nec irregularis est; cum iudicanda sit mors inuitabilius quoties sine periculo probabili mortis vitari non possit.

DECISIO XV.

Ex conf. 14. alias 15.

15 **C**lerici cum laicis, & cum armis carcerem aduentus ad aliquem in carcerem coniectum liberandum, & eo deducto, superuenient apparitores iudicis, qui eum in carcerem reducere conantur; si in ea rixa apparitorum aliqui occidant, prædicti clerici, etiam si non occiderint, nec percussent, fiunt irregulares; cum ex parte voluntum eum in carcere liberare rixa, seu bellum iniustum fuerit; Quoties autem quis in bello iniusto occiditur, vel mutilatur, astantes omnes a parte bellante iniusti, irregulares fiunt ex Na. in Man. c. 37. nu. 220. & 221. & indigent dispensatione quoad forum exterius, per officium Datarie quoad utrunque forum obtinenda.

DECISIO XVI.

Ex conf. 15. alias 7.

16 **Q**ui ex facinoribus Bannitorum commotus, cum armis comitatur eos, qui illos iuste insequuntur, ut eorum fugam impediatur, si postea ab eisdem Banniti occisi sunt, irregularis efficitur, quamuis ipse nullum occiderit, aut percussent; cum cooperatus sit aliis, qui illos occiderunt, è domo cū illis exeundo arma ferendo, & Bannitorum fugam impediendo; non tamen peccauit, cum ipsi iuste occisi sint.

DECISIO XVII.

17 **Q**ui comitantur iudicem ducentem aliquem ad sententiam mortis exequendam, etiam si nihil agant, omnes in iudicantur irregulares.

DECISIO XVIII.

Ex confil. 16. alias 10.

18 **C**lericus in bello iusto pugnans irregularis non est, etiam si socij eius occidant al quos, dummodo ipse aliquem non occiderit, esto percussent, c. pen. de homic.

DECISIO XIX.

Ex confil. 17. alias 13.

19 **C**lericus associatus alios occidere volentes Bannitum, & vna cum eis scloppis eum occidens, tanquam cooperator, & auxiliator irregularitatem ex homicidio voluntario contractam incurrit: cap. sicut dignum, §. fin. de homic. & Nau. in Man. cap. 27. num. 224. Nec beneficia ecclesiastica ante dispensationem acquirere potest ex Pan. in c. cum nostris, de concess. præb. Habita tamen saltem simplicia iuste retinere potest, donec illis per iudicem priuatur: ita Innoc. in d. c. cum nostris. Ad ordines tamen superiores promoueri non potest, ex Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 191. Neque cum eo dispensare potest Episcopus, ut beneficium simplex obtineat, vel ordines suscipiat, ut patet ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. de refor.

DECISIO XX.

Ex conf. 19. alias 23.

20 **Q**ui alium, occidere volentem, & vere occidentem, cum posset, non impedit, irregularis non est, dummodo occidenti non cooperetur, sicut nec facti tenetur, qui videt alium furari, & non iuuat illum, nec dominum rei admonet, ut ait Adrian. 4. tit. de rest. q. 1. & Nau. in Man. ca. 24. nu. 7. Neque percussorem clerici alieno nomine factam ratificans excommunicatur, c. cum quis de sent. excom. in 6.

DECISIO XXI.

Ex conf. 20. alias 2.

21 **P**ercutiens alium in facie, aut alia corporis parte vulnere graui, & de formi, irregularis non est, etiam si macula periculis maneret, cum hoc nullo iure canonico sit; irregularitas autem non nisi in casibus a iure expressis incurritur, c. Is qui de sent. excom. in 6. Nec omnis alium irregularem faciens irregularis efficitur, sicut nec alterius membrum debilitans irregularitatem incurrit, x Nau. in Man. c. 27. num. 207.

DECISIO XXII.

Ex conf. 22. & 23. alias 46. deest in Nouis.

22 **S**ciens mulierem ex se concepisse, & eidem consulens, vt det operam abortiendi quamuis certo nesciat an illa ex consilio abortierit, dubitat tamen, cum abortus secutus sit; sic rogando, & consulendo peccauit mortaliter toties, quoties rogauit, aut ei consuluit, vt abortiret; Non est tamen irregularis, si abortus factus sit antequam factus anima rationali animatus erat: factus autem masculus lapsis quadraginta diebus, femineus autem octuaginta diebus animatur, glossa dist. 5. in princ. Quod si dubitatur an sit masculus, an femineus, præsumendum est post quadraginta dies animatum esse: Quia pars securior est eligenda, cap. Iuuenis de sponsal. & cap. ad audientiam, de homicid. vnde alium consulens, & rogans, se irregularem iudicare debet, & dispensatione Patris in Sacra Penitentia petenda indiget.

DECISIO XXIII.

Ex conf. 24. alias 48.

23 **C**lericus primæ tonsuræ in choreis cum muliere quadam prægnante saltans, quæ postea etiam cum alijs saltauit, abortu secuto, non est irregularis, si saltatio illa licita, & honesta fuerit, & adeo modeste saltauit, vt verisimile sit ex illa saltatione abortum non prouenisse; argum. cap. quia non est de presumption. & Nauar. in Manua. c. 27. num. 210. & 229. secus autem si saltatio illa vel illicita fuerit, vel non ita leuis, vt causa abortionis iudicari possit; Et in dubio se irregularem iudicare debet; maxime cum saltatio cū muliere prægnante actus sit iua quasi natura ordinatus, & aliquo modo ad abortum, & mortem factus animati directus.

DECISIO XXIV.

24 **D**uo inter se rixantes, quorum causa; alij etiam duo rixas inter se excitent, & grauius sese vulnerant, ita vt vnus eorum post aliquot dies ex accepto vulnere moriatur, irregulares sunt, si rixa secunda dependens, & accessoria fuerit rixæ priori, & ex primo eorum facto illicito, & durante rixa priori, secuta sit rixa secunda, ex qua mors secuta est: ex Nau. in Man. ca. 27. num. 219. Hæc tamen irregularitas non nascitur ex homicidio voluntario indispensabili, sed ex casuali dispensabili, & mixto, ut ait Conc. Trid. sess. 14. ca. 7. de reformat. Si autem rixa secunda rixæ priori accessoria non fuerit, sed separata irregularitatem non incurrit.

DE.